



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 1048. Specialis: num igitur etiam Clerici constituere teneantur ad necessitates & utilitates publicas, communes, ordinarias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

requisitarum, si vel una desit, non possunt Clerici licite contribuere laicis.

**Quest. 1048. Specialis, num igitur etiam Clerici contribuere teneantur ad necessitates & utilitates publicas & communes ordinarias?**

**R**esp. Quamvis iurista pluresque Canonista affirmant obligari Ecclesias & Clericos ratione bonorum, quæ possident ad contributiones pro necessitatibus & utilitatibus ordinariis impositas civibus & incolis v. g. ad reficiendas vias publicas, pontes, fontes, muros civitatis, vel ad comparandam annonam civitatis, similique ad communem usum, seu utilitatem civium etiam Clericorum, juxta quod dicitur: *l. ad instructiones. c. de Ecclesiis; ad instructiones itinerum pontiumque etiam divinas domus (ergo multo magis Clericos) tam laudabili titulo libenter adscribimus;* & pro ut sumitur ex aliis quoque textibus juris civilis, *l. ut. c. de quibus muneribus* expressè de murorum constructione, frumenti aliarumque specierum comparatione & communi provisione. *l. placet. c. de SS. Ecclesiis*, ubi conceditur immunitas à collectis, sed excipiuntur communes necessitates, quæ lex approbata à Jure canonico *c. generaliter. §. placet. 16. q. 1.* stabilitur quoque hæc sententia ratione eâ; quod hujusmodi exactiones non sunt tributa, quæ indicant subjectionem, & fundantur in jurisdictione, quia non imponuntur ut Principi solvantur; sed solum sunt contributiones, quæ pro communibus necessitatibus & utilitatibus propriis omnium civium imponuntur, quorum quia pars sunt & membra reipublicæ, fruuntur ut tales hæc commodis; naturalis ratio exigit, ut etiam concurrant ad istiusmodi ferenda onera. ita Pirh. *n. 76.* Quæ inquam licet valde probabiliter doceantur, nihilominus opinionem contrariam, quod etiam ad contribuendam pro talibus necessitatibus Clerici cogi nequeant, aut etiam licite possint, nisi servato præscripto modo in *c. non minus. §. c. adversus. h. t.* tanquam viorem probabiliorem & communio-rem inter Theologos & Canonistas asruit Pirh. *h. t. n. 77.* citatis pro ea Gl. in *c. generaliter. §. juxta. V. collationibus.* Host. in *sum. h. t. num. 4. §. egoputo.* Jo. And. in *cit. c. non minus. n. 14.* Abb. *ibid. n. 18.* Bartol. in *l. ad instructiones. n. 3.* Sylv. *V. immunit. 1. n. 25.* Mol. *tr. 3. de just. D. 672. n. 4.* Suar. *cit. l. 4. c. 26. an. 12.* ex ea ratione, quod præterquam *c. 1. h. t. in 6.* absolute sine limitatione prohibeantur exigi & imponi collectæ quæcumque ab Ecclesiasticis solvendæ, bona Ecclesiastica deputata sint ad usum & finem spiritualem, qui etiam in bonum laicorum redundat, unde à ratione alienum non sit Laicos ex solis suis bonis temporalibus ad onera publica civilia teneri, etiam si ea cedant quoque in utilitatem Clericorum. Extenditque hoc ipsum Pirh. *n. 78.* ad bona patrimonialia Clericorum, non tantum, quia sunt accessoria bona, acita participant exemptionem personæ, sed etiam, quia Clerici deserviunt communi utilitati laicorum, ut hinc æquum sit, ut fruantur & ipsis communibus commoditatibus civitatis, etsi ad illas non contribuant ex bonis suis temporalibus, non secus ac milites & Magistratus sæculares, qui nihil de bonis contribunt, & tamen fruuntur dictis commoditatibus & liberi ab istiusmodi exactionibus. Ut cum Suar. *cit. c. 76. an. 12.* Pirh. *n. 78.* juxta *c. jus publicum 11. dist. 1.* ad Leges verò juris civilis pro contraria sententia adductas. Respondent hi AA. illas vel correctas per *Auth. item nulla.* vel nunquam validas fuisse ob defectum potestatis, verum-

que non esse, quod *cit. l. placet.* canonizata & approbata sic jure canonico etsi inserta decreto Gratiani, cum per hoc aliam auctoritatem non habeat, quam prius per se habebat; siquidem Leges civiles censentur tantum canonizata, quando à Papa canonicibus inferuntur, ut Gl. in *c. imprimis. can. 2. q. 1. v. capituli.* Ad rationem etiam adversariorum aptè respondent; quod Clerici sint membra Reipublicæ, sed privilegiata, nec omnia membra eundem actum habent, ut Apost. *ad Rom. 13.* & Clerici teneantur quidem sublevare patriam, sed in ministeriis spiritualibus statui suo propriis, ratione cujus exempti sunt ab exactionibus sæcularibus, quemadmodum laici, etsi membra sint corporis mystici Ecclesiæ, non tamen tenentur præstare Episcopo Cathedralium, subsidium, procurationem, similiaque onera, quæ ad Clericos pertinent. Unde & verum non est illud; qui sentiunt commodum, sentiant etiam gravamen. Si sentientes commodum aliunde graventur, uti in præsentè, dum Clerici, etiam in bonum laicorum gravantur aliis oneribus & ministeriis spiritualibus, sublevantur & eximuntur ab oneribus temporalium exactionum ut Pirh. *h. t. n. 80.* cum Fagn. in *cit. c. non minus. h. t. n. 49.* Quod dictum est de viis publicis pontibus &c. reparandis, quod ad talem reparationem cogi non possunt Clerici, idem dicendum de iis, quod tempore caritatis annonæ cogi nequeant à potestate sæculari ad vendendum etiam iusto pretio, frumentum aliaque victualia, cum explorati juris sit per *c. Ecclesia de constit. §. c. fin. de reb. Eccl. alienand.* jurisdictioni sæculari, ac præsertim coactivæ, clericos subjectos non esse. Quò spectat etiam violentus ingressus & visitatio horreorum & granariorum, præsertim intra Ecclesiarum & monasteriorum ambitum sitorum, cum loca ea acquirentur sitis extra territorium Magistratûs sæcularis. Proinde jam urgente tali necessitate, sæculari potestati recurrendum ad superiores Ecclesiasticos, ut per illos compellantur clerici ad iusto pretio vendenda frumenta Belle. *disq. Cler. p. 1. cit. §. 2. n. 9.* Guazz. *de defens. reor. 20. c. 9. n. 10.* Madius *tr. de sac. Ordin. c. 14. §. 38.* Delb. *o. 9. du. 14. n. 1.* Wiestn. *h. t. n. 205.* & quod si tempore maximæ necessitatis Clericos rogatos à pauperibus vendere frumenta, potestas Ecclesiastica compellere ad hoc negligat, aut ea adire in tempore non possit, posse magistratum sæcularem potestate extraordinaria, & non jurisdictionis, utpote, quam in Ecclesiasticos non habet, sed justæ defensionis contra periculum communitati ex fame imminens frumentum ex Ecclesiasticorum horreis extractum iusto pretio egentibus vendere, tradit Delb. *l. c. n. 2.* & in simili casu docent Sotus in *4. dist. 25. q. 2. a. 1.* Molin. *de 7. §. 7. tr. 1. d. 31. n. 10.* apud Wiestn. *n. 206.*

**Quest. 1049. An bona antecederet obnoxia jurisdictioni & exactionibus laicorum transeant cum isto onere ad Ecclesiam & Clericos.**

**R**esp. Primò bona istiusmodi temporalia non feudalia à principe vel alio Domino sæculari Ecclesiæ vel monasterio in prima foundatione vel postmodum donata non merè liberè, sed cum reservatione jurisdictionis & pristini juris imponendi illis contributiones talem conditionem tanquam justam retinent, adeoque obnoxia manent oneribus illis à fundatore & donatore imponendis vitalis pacti & conventionis. Suar. *c. 14. n. 13.* Laym. *l. c. num. 4.* Wiestn. *n. 197.* Arg. *c. verum. de condit. appost.* Idem est de bonis, aliis titulis acquisitis, si antecederet jam